Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36814
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



PSALMUS DAUID

Per totum psalmum renatus in baptismo xpianus gratias agit. quia de ariditate peccati ad loca pascue. & ad aquam sit refectionis inductus

Psalmus dauid. per totum istum psalmum xpianus fidelis gratias agit dno quod liberatus. uetustate depositu ad loca pascuae. et aquam refectionis dno largiente sit perductus. Loquitur hic ecclesia fiducialiter per fidem

Aqua refectionis est baptismi lauacrum quo anima sterilis inrigatur. Educauit. idest paulatim nutriuit. quasi paruulos. & renatos doctrina apostolorum. Conuertit animam ad xpm. quae dudum sub diabolo probatur esse captiua

Dicit catholicus. si ambulauero inter hereticos qui recte umbre mortis dicuntur. Non timebo eorum prauas suasiones quoniam tu me dne defendis

Parasti. idest praedistinasti altare scm. mensa dictu. amense. et significat scripturam scam. aduersus eos. idest hereticos qui tribulant ecclesiam

Dns regit me. quam ante aduentum xpi diabolus regebat. nihil deerit boni qui adheret do. In loco pascue. id est in futura beatitudine eam collocabit

Semitae iustitiae sunt duo praeceptu salutaria. idest dilectio di et proximi. Propter nomen suum. gaudet se famulus xpi deductum esse ad illam scientiam. ut possit iussa dni uulgare non suis meritis. sed diuina gratia sibi esse concessum

Virga enim ad iustitiam et fortitudinem di pertinet. Baculus ad adiutorium humanum. Istis ergo duabus rebus fidelis consolatur. Una est districtio quae conterit uitia. altera gubernatio. que sustinet fideles

Dns regit me. & nihil mihi deerit. in loco pascue ibi me collocauit

Super aquam refectionis educauit me. animam meam conuertit

Deduxit me super semitas iustitiae. propter nomen suum

Nam & si ambulauero in medio umbre mortis. non timebo mala quoniam tu mecum es

Virga tua & baculus tuus. ipsa me consolata sunt

Parasti in conspectu meo mensam. aduersus eos qui tribulant me